

5+6 / 83

IDIBVS IVNIIS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 41



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	ÖS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	ÖS 130.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes,

Nuper ab aliquo interrogatus sum, cur Rumor Varius ratas partes magis animum delectantes relaxantesque contineat quam artibus variisque disciplinis instrumentes. Fortasse etiam inter vos, cari legentes, sunt qui desiderent, ut aut unum aut alterum genus in nostro libello colatur aut, ut adhuc fuit, utrumque. In collegio redactorum quoque diversae sententiae de hac quaestione audiuntur. Sententia autem, quae in collegio redactorum prominet, haec est: Quicumque Rumorem Varium leget, inveniet in omni fasciculo aliquam ratam partem cor suum delectantem. Qua de causa in omni libello non modo ratae partes delectantes divulgari solent, quae animo facillime perspici et legi possint, sed etiam artibus et litteris instrumentes, quae legi intelligique nequeant nisi scientia artium vel litterarum adhibita.

Qui illius modi ratas partes desiderant, sunt linguae Latinae tirones, discipuli, qui scholam frequentantes cotidie disciplinis variis erudiuntur et interdum desiderium otii habent; qui huius modi ratas partes desiderant, sunt Latinitate progressi, magistri, professores linguas antiquas in universitatibus docentes velut domini dominaeque, qui olim linguam Latinam in schola discebant et nunc curant, ne huius artis scientia in oblivionem veniat.

His Latinitatem amantibus Rumor Varius semper aliquid lectu dignum ferat.

Valete!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann

Dabam Turici, die XXVIII<sup>o</sup> mensis Maii anno MCMLXXXIII<sup>o</sup>.

# Litterae ad legentes

Cari legentes,

In honorem AMICI, socii operis nostri die IX<sup>o</sup> mensis Iunii MCMLXXXIII diem natalem suum LXV celebrantis curriculum vitae divulgamus, quod nobis ipse publicandum misit.

Totum collegium Rumoris Varii redactorum et omnes amici Rumoris Varii AMICO suo gratulantur! Sit tibi, AMICE, dies natalis felix, vita futura felicissima! Semper valeas!

Udalricus Aeschlimann

## Vita Amici

Natus sum, Varnerius Fridericus EBELIUS, AMICUS qui dicor, die Solis seu dominico IX<sup>o</sup> mensis Iunii anno MCMXVIII<sup>o</sup> Berolini in urbe Friderico Guilelmo Augusto EBELIO et Bertha Anna Olga NOCKE parentibus.

Fidei addictus sum christianae, confessioni etenim evangelico-lutheranae. Parentes iam mortui sunt: mortem obiit mater iam anno MCMXXXII<sup>o</sup>, diem supremum obiit pater anno MCMXLVII<sup>o</sup> Berolini in urbe. Vivit adhuc soror Gerda Minna Dorothea, anno MCMIX<sup>o</sup> nata Berolini in urbe.

Scholam elementariam sive municipalem sive popularem obii in districtu Treptow(iensi) urbis meae patriae ab anno MCMXXIV<sup>o</sup> usque ad annum MCMXXVIII<sup>m</sup>, scholam autem superiorem, cui titulus gymnasium municipale, ab anno MCMXXVIII<sup>o</sup> usque ad annum MCMXXXVII<sup>m</sup>. Die autem Veneris V<sup>o</sup> mensis Februarii anno MCMXXXVII<sup>o</sup> examen maturitatis superavi atque testimonium maturitatis (quod dicitur) recepi. Operam dedi studiis medicinae ab anno MCMXXXIX<sup>o</sup> usque ad annum MCMXLIV<sup>m</sup> de-

inceps Halae ad Salam (Halle an der Saale), Berolini in urbe, Regiomonte Borussiae Orientalis (Königsberg/Ostpreussen), Berolini in urbe et Hammoniae (Hamburg). Examen autem medicum die Iovis XVIII<sup>o</sup> mensis Maii anno MCMXLIV<sup>o</sup> superavi Hammoniae in oppido, ad doctoris medicinae gradum promotus sum paulo post Berolini in urbe die Saturni XX<sup>o</sup> mensis Maii anno MCMXLIV<sup>o</sup>.

Stipendia equo feci seu meritis sum seu muneris militaris officium sum exsecutus ab anno MCMXXXVII<sup>o</sup> usque ad annum MCMXLIV<sup>m</sup>, deinceps adscriptus regimento quinto equitatus (Reiter-Regiment Nr.5) Stolpiae Pomerianae in oppido (Stolp in Pommern), regimento curruum loricorum quinto (Panzer-Regiment Nr.5) Berolini in urbe, postea militiis sanitatis intra bellum mundanum sive pancosmium II<sup>m</sup> ubivis (in) locis Europae.

Officio medico meo functus sum per annos fere quadraginta, nunc autem interea iam rude donatus sive munere exsolutus hodie ut rudiarius cum annuis praebendis dimissus operam do studiis litterarum, doctrinis liberalibus et ingenuis, arti poeticae atque ad scribendum me confero uti scriptor.

Officio scriptoris fungor satisfacioque lubenter cum (in) lingua mea paterna sive nativa Germanica (sive Theodisca), tum in sermonibus peregrinis, praesertim sermone Latino. Carmina condo conscriboque atque praecipue ex Germanico (Theodisco) in Latinum sermonem verto aut transfero aut reddo. Abhinc spatium iam plus decem annorum me aggregavi in numerum amicorum sodaliumque Latinitatis in circulo editorum VOCIS LATINAE coniunctorum, abhinc duos annos me consociavi cum sodalibus editoribus RUMORIS VARIII. Adscitus sum in numerum sodalium et SOCIETATIS LATINAE (GERMANICAE) SARAVIPONTANAE, Saraviponte ad Saram in oppido sedem habentis, atque SOCIETATIS LATINAE (HELVETICAE) TURICENSIS, Turici in oppido Confoederationis Helveticae sedem habentis.

Habito enim (cum) domicilio primo in urbe mea patria, domicilio autem secundo Gollmuthihuso in vico Franconiae Inferioris Reipublicae Germaniae Foederatae.

Dixi et animam salvavi!

Dabam Gollmuthihuso in vico Franconiae Inferioris Reipublicae Germaniae Foederatae, die Solis seu dominico Kalendis Maiis anno MDCCCCLXXXIII .

AMICUS



Proximus fasciculus (7+8/83) fine mensis Augusti vel initio mensis Septembris edetur post ferias aestivas. Quae ut vobis felices Soleque perfusae eveniant opto, cari legentes! Curate, ut semper valeatis!

Udalricus Aeschlimann



### Nuntius ad legentes ubique terrarum habitantes

Felicissime accipiam inscriptiones cursuales quam maximas Rumorem Varium legentium Latinitatisque cultorum, qui extra Europam vivunt. Optatissimum enim est mihi scribendi commercium habere et pergere Latino sermone et temporibus nostris cum incolis remotissimorum locorum.

Omnes, qui hunc nuntium legunt idemque desiderium habent, rogo ut mihi respondeant litteris.

Inscriptio cursualis mea est haec:

Prof. Florindo di Monaco  
Via Michele Monaco 152

I-81054 San Prisco

## *Cantemus, o amici!*

### VIAE ROMAE

Streets of London

Senem tu vidistine clauso in foro  
folia pulsantem confectis calceis?  
Non superbiam vides, tactam manum sed cernes  
libris, hesterna qui dicunt, hesternis.

Sic quid esse dicis te solum  
nec solem umquam lucere ti?  
Manum da, ut ducam te  
itinerata per Romae cuncta  
ostendens tibi,  
quibus mutaberis.

Anum tu vidistine per Romae vias gressam  
crine lutoso, veste punnucia?  
Non stat, ut loquatur, it, ne impediatur,  
domum in cista portans permaxima.

Sic quid esse.....

Quadam in taberna vigilia secunda  
senex idem solus relictusque sedet  
spectans, super quae vitrei sunt vini labrum,  
vini hora hausti, et solus reveniet.

Sic quid esse.....

Senem tu vidistine taberna in nautarum  
memorias cum clipeis volventem, quae portat?  
Pluviae cadentes ac poscunt miserentes  
pristini viri fortis, quem mundus non curat.

Sic quid esse.....

Hoc carmen toto in orbe clarissimum Ralphus McTell composuit. Latine redditit:

Martinus Meier

*In Memoriam Mariae Callas.*  
*Cantus Musae*

(Novi Eboraci 1923-Lutetiae 1977)

Metrum sapphicum

Sēper Aēgaei cinerēm vagāntem  
aēquorīs fluctūs retinēt canētis  
fēminae blandē tremulūm sepūlcrum  
dūlce fovēntes.

Non modus vocem rapuit vadorum, 5  
quae manet nobis medicamen aegris  
taedium vitae relevans beate  
carmine molli.

Stamen aetatis citius sinistra  
heu! reciderunt tibi fata lassae 10  
igne qui caecus populavit alte  
corda perusta.

Ut gementes luscinae per arva  
nocte diffundunt tacita dolorem  
et diem laete volucrum canorum 15  
nuntiat agmen,

temporis mulces avis aequor amplum  
Orpheï et mirum renovans perenne,  
una Sirenum sonitus remissos 20  
voce revincis.

Mitis Euterpes suboles novella,  
laudibus tollunt homines honestis  
et labri plane memores sūavis  
usque magistram

te fatebuntur liquidas docentem 25  
incliti fontes reperire cantus,  
nec resolvetur tua forma celsa  
tempore saevo.

Plausibus longis sonuit theatrum  
ultimi ut cantus numeri fluebant 30  
osque vix clausum sonitus acutos  
lene notabat.

Scaena te claram tenuit libenter,  
cum venustam te facerent capilli  
per latus passi nitidumque lumen 35  
frontis eburnae.

Prima sicut lux fugat astra maesta  
cordibus fessis senium repellis,  
rore conspergens cupidus recenti 40  
ò Maria, aures.

Florindo Di Monaco



## Facete lepideque dicta

### De aetatum celeritate

- A: Viri celerius vivunt mulieribus, ut videtur.  
B: Re et veritate, sane profecto! Cum illo tempore uxorem  
meam in matrimonium duxi, uxor mea egometque eiusdem  
aetatis fuimus. - Hodie autem egomet sum L annos natus,  
uxor mea XLI annos nata!

Optimum in hoc genere

A: Quid autem de mulieribus aestimas?  
B: Quamquam iniquum videtur, quidcumque de illis maledicere Tibi liceat, sunt utique optimum, quod in hoc genere inveniri potest!

\*\*\*\*\*

Lapsus linguae

Sacerdos quidam orationem dominicam orans verba orationis "Panem nostrum quotidianum da nobis hodie" confusit et verbis his est precatus: "Panem nostrum hodiernum da nobis quotidie!"

\*\*\*\*\*

Quantum differt!

Alter: "Uxor mea reapse angelus est!"  
Alter: "Mea autem adhuc vivit!"

\*\*\*\*\*

Apud nosmet numquam

Viator nimis sero in statione Angustiarum Turicensium (Germanice: Zürich-Enge) advenit et tramen ferriviarium iam stationem ferrivariam reliquerat. Viator stomachosus indignabundusque officialem Ferriviarum Foederatarum Helveticarum interrogat. Viator: Quando autem tramen proximum ferriviarium vehere solet?


Officialis: Tres horas post, hora VII<sup>a</sup> et triginta minutas.  
Viator: Et antea tramen aliud omnino non vehit?  
Tum stationi Angustiarum Turicensium praefectus seu rector: Apud nosmet, inquit, tramen aliud numquam ante proximum vehere solet!

AMICUS

Intra narcosisim

Intra narcosisim uxor ergodotae cuiuspian (ergodota = Manager) divitis semper "O, Maxenti mi, Maxenti mi!" vociferatur. Momento dimissionis e nosocomio seu valetudinario medicus primarius comiter humaniterque "Salutem," inquit, "plurimam a memet Maxentio nuntiare velis!" - Tum ea leviter erubescens: "O, gratias ago Tibi, doctor, nesci(v)i adhuc et Tete autocinetae raedarium nostrum novisse!"

AMICUS



A E N I G M A

parvum

- 1. pronomem demonstrativum
- 2. flumen apud inferos
- 3. oppidum Phoenicum (Gen.)
- 4. egressus sum


1	2	3	4
2			
3			
4			

Hoc aenigma parvum, cari legentes, ad animos vestros exercendos aptum est. Nam in pagina sequente vobis aenigma multo maius solvendumque difficilium proponimus: aenigma maximum a Daniele Weissmann ingeniose finctum, quo recte soluto nobisque misso praemium accipere potestis!

# Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS AVGVSTIS EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium LIBER  
 secuncum praemium LIBELLVS  
 tertium praemium LIBELLVS



## Ad librum

- 1 ea pars corporis, qua sensus esse existimantur
- 3 virilis
- 5 angustas
- 10 poeta Graecus praeclarus
- 13 aggredere
- 14 oppidum in Italia meridiana, sedes sectae philosophae (gen.)
- 15 donum Dionysi dei (gen.)
- 16 insula Graeca, patria celeberrimi medici antiquorum temporum
- 17 condimentum
- 18 aedes sacrae
- 19 impendant
- 20 savia daret
- 23 coniunctio linguae Latinae
- 24 urbs, quae anno LXXIX p.Chr.n. monte flammis evomente deleta est
- 25 morare
- 27 patria Catulli poetae
- 28 ubi Aeneas Sibyllam consuluerit
- 29 se confert
- 30 bestiolae hominibus punctis molestia afferentes (dat.)
- 32 instrumentum, quo pastores cantare solent
- 34 feminae oppidum incolentes, quod nostro tempore turri obliqua notum est
- 35 nuntios scriptos (acc.)
- 37 pronomen personale (acc.)
- 38 pignus
- 39 pronomen personale (acc.), lingua Latina antiqua
- 41 pennae vel cornua
- 43 dea, nuntia deorum (acc.)
- 45 incolae oppidi, quod patria illius praeclari poetae Romani iniuste in exilium missi est (dat.)
- 48 dea maritima, filia Thebanorum regis Cadmi
- 49 quod in cena consumptum est (abl.)
- 50 liberi avunculi vel amitae (dat.)
- 51 vulnere affecta



Ad perpendiculum

- 1 sedes solis, lunae et astrorum (dat.)
- 2 acta
- 3 versaria
- 4 parvulum flumen prope Aetnam montem situm (abl.)
- 5 auferente
- 6 de me silent
- 7 iuvenis pulcher a Venere dea amatus (dat.)
- 8 crotalo Isidis deae affectus
- 9 deus Romanus antequam Romam venit Epidauro habitans
- 11 ad Bacchum deum pertinens (fem.sg.nom.)
- 12 operiemus
- 18 plenae eorum, quae sine flammis oriri non possunt
- 19 regio Italiae clara propter picturas sepulcrorum
- 21 antrum
- 22 urbs Graecorum
- 26 parva volucris mirabiliter cantans (dat.)
- 27 flumen magnum inter fines Rugiorum et Aestiorum in mare influens
- 28 insula celeberrima prope Neapolim sita (dat.)
- 31 coniunctio linguae Latinae
- 32 dominas
- 33 ad volucrem magnam et plenam dignitatis pertinens, quae lacus habitat (gen.)
- 36 gens Romana
- 38 nomen arboris (dat.)
- 40 alimentum liquidum
- 41 pecunia
- 42 instrumentum musicum
- 44 consuetudo
- 46 negatio linguae Latinae
- 47 pecus domestica

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann



S O L V T I O N E S

aenigmatis, quod vobis  
in RVMORE VARIO 3+4/83  
proposuimus, hic de-  
monstrantur:



A	E	N	E	A	S
E	N	U	C	L	E
N	U	L	L	O	S
E	C	L	O	G	A
A	L	O	G	U	M
S	E	S	A	M	A

## Facete lepideque dicta

### Momentum temporis optimum

In schola magister: "Quando" inquit, "sit messis malorum temporis momentum optimum?" - Tum discipulus: "Si agricola", inquit, "se averteret atque canis abesset!"

\*\*\*\*\*

### Lepos niger (schwarzer Humor)

"Tibiptene bracchium meum offerre mihi licet?" quaerit vir quidam anthropophagus (humana carne vescens) amatam suam. Tum ea "Gratias", inquit, "Tibi ago maximas pro condicionibus oblatis, sed hodie iam ientavi (prandi)!"

\*\*\*\*\*



## Gratulor!

Alter: "Audivi Te patrem esse factum, amice. Gratulor!"

Alter: "Gratias Tibi ago persolvoque maximas!"

Alter: "Et quomodo, bone vir, valet uxor Tua?"

Alter: "Bene adhuc, quamdiu de illo eventu certior non facta erit!"

\*\*\*\*\*

## Blanditiae ancipites

Gener: "Vellem Te stellam mirificam esse, o socrus mea!"

Socrus: "O, quam dulcissime id dixisti, mi gener! Gratias ago!"

Gener: "Cogitadum, socrus mea, stellam omnium proximam iam amplius centies centena milia milliaria abhinc esse!"

\*\*\*\*\*

## Descriptio nimis colorata

Editor: "Dolet me, inquit, quod fabulae Tuae mihi omnino sunt inutiles, sunt profecto fabellae coloribus nimis distinctae!" "Nimis coloribus distinctae?" vociferatus est scriptor furerter iratus. Tum editor: "Sane, inquit, bone vir, nam primo capitulo senem describis ira erubescens, secundo autem capitulo latronem invidia viridem, tertio capitulo heroem furore album, quarto capitulo viraginem pudore rubram atque quinto capitulo aurigarium frigore glaucum caeruleumque!"

\*\*\*\*\*

## Facillimum intellectu

Alter: "Quare non ad funeris exsequias amici tui optumi prosequeris?"

Alter: "Etiam ille non ad meas veniet!"

AMICUS

## TRAGOEDIA

### BENITI MUSSOLINI

Scriptis : Plinius Prioreschi

In Latinum converterunt: Ernestus Brehm  
Thomas Coffea  
Plinius Prioreschi

Copyright by P. Prioreschi 1978

### ACTUS III

Scaena II : Officium Ducis in litore lacus Gardensis.  
Mussolini, assidens scriptorio, aliquas chartas legit. Ad portam pulsatur.

Mussolini : Quis est?

Custos : Comitissa Ciano.

Mussolini : Intret.  
(Edda magnopere perturbata intrat. Stat ante scriptorium)

Edda : Scis cur adsim.

Mussolini : Asside, Edda.

Edda : Spero ut demum intellegas farsam satis duravisse...

Mussolini : Asside, quaeso.  
(Ante mensam assidit)

Edda : Satis est. Morte damnatus maiestatis est. (mordaciter) Macula dedecoris abluta est, proditores damnati sunt. Omnes contenti sunt. Nunc, circensibus finitis, circus clauditur et omnes domum imus. Veniam dabis, id rem concludet.  
(Pausa longa)

Mussolini : Edda, primogenita mea es. Puellula, mihi vesperi

domum venienti occurrere solebas et lacrimabas quia aliquis aut aliquid, ut dicebas, fortior quam tu erat....

- Edda : Omnes id scimus, nunc de venia loquamur.
- Mussolini : Scio quomodo sentias, Edda....
- Edda : De venia, de venia! Dic mihi de venia!
- Mussolini : Promittere non possum....me oportebit cogitare....
- Edda : Promittere non potes?
- Mussolini : Non possum.
- Edda : Dicisne possibile eum fucilatam iri?(1)
- Mussolini : Sententia decreta est, Edda, mihi necesse multa considerare....venia possibilis....sed....multa problemata adsunt....
- Edda : (Clamitans) Esne demens? Estisne omnes dementes?
- Mussolini : Edda, scio quomodo sentias, sed non hoc modo appellari soleo.
- Edda : Tunc vere omnes estis dementes! Farsa miserabilis est et omnes in serium vos tenetis. Reor te Necessitatem Rei Publicae(2) prolaturum. Qualis Necessitas Rei Publicae? Ad Germanis placendum? Ad qui etiamnunc Fascistas se appellant placendum? Ad cui placendum? Hoc horribile bellum iam necavit miliones et nunc etiam virum meum occidere vultis. Minime! Minime! Non vobis id permittam. Viri sunt mariti et patres et fratres et haec scelerata dementia cessare debet....Consilium omnium harum rerum quid est? Pro quo nobis pati et mori necesse? Pro Italia? Pro posteritate? Nec de Italia nec de posteritate curo! Cum marito et liberis meis vivere volo. Vos partes militum imperatorumque agitis cum sanguine nostrorum virorum. Maledicamini omnes! (Coepit lacrimare. Inter longam pausam singultus Eddae paulatim decrescunt.)

Mussolini : Edda, tu pro vita mariti tui ploras. Mox mater tua fortasse etiam plorabit. Putas me vitae mariti tui parcere posse. Optionem habeo: utrum dignitatem meam servare an filiam meam viduam facere. Si limites optionis hi soli essent, solutio facilis. Dignitas mea non unam tuarum lacrimarum valet, sed dignitas ducis cum dignitate nationis se confundit et ab ea distingui non potest. Necessitas Rei Publicae(2), ut dixisti. Ita est, Necessitas Rei Publicae. Si Germani impetui hostis non resistant, ad eventus parati esse debemus. Vita mea, vita tua, vita singulorum nullius momenti est. Eversio huius aut illius aedificii etiam nullius momenti est. Quid magni momenti est? Deus? Minime. Aut Deus fabula est aut tam remotus ut problemata nostra ei nulla sint. Quid igitur? Nihil? Nunquam credidi omnia vana esse. Patria nostra vana non est. Non solum eius cives, aedificia ac agri, sed etiam institutiones, honor ac dignitas servandi sunt etsi singulus toleat. Auctor multarum iacturarum ac letorum sum. Debeo saltem monstrare Italiam omnino a proditoribus, infirmis languidisque non incolis et Regem parvum mareschalcumque Badoglio solum brevem paginam ignominiae scripsisse. Haec est Necessitas Rei Publicae.

Edda : Galeatius diarium per multos annos servavit. Si divulgabitur tibi Germanisque valde nocebit. In tuto loco, in Helvetia est et id divulgabo si Galeatio non ignosces. (Pausa longa) Scis me divulgaturam si necesse.

Mussolini : Scio.

Edda : Promitto id perniciosissimum esse.

Mussolini : Non tam perniciosum quam clades, nec tam perniciosum ut victoriae nocere possit. Ubi nunc sumus, solum vincere aut vinci refert.

Edda : Ergo parce ei! Si nunc solum vincere aut vinci refert, parce ei! Eum interficere inutile esset.

Mussolini : Edda, nos omnes vias minus horribiles eligimus, dum optio manet. Saepius, autem, eventus actiones nostras dictant et possibilitates optionis lente evanescent....

Edda : Veniam! Veniam! Verba nolo! De diario Germanis dicam, illi ut ei parcas providebunt. (Pausa) Constituisti permittere eum mori, nonne?  
(Mussolini caput demittit et non respondet. Edda sugit et lente ad ianuam ambulat; post paucos gressus plorare incipit et ex cubiculo currit. Post pausam longam Arlequinus intrat.)

Arlequinus : Ave Caesar!

Mussolini : (Moleste) Tu iterum!

Arlequinus : Ergo, generum tuum necare statuisti.

Mussolini : Statui ei non parcere.

Arlequinus : Caesar Borgia fratrem suum necavit, tu generum tuum. Differentia magna non est. Sane Caesar semper esse voluisti! (Ridet))

Mussolini : Nunquam desines?

Arlequinus : Cum honorem habebo, orationem funebrem tuam declamandi! Interea gaudeo tibi loqui atque te cruciatum videre. (Ridet)

Mussolini : (Maestus et mordax) Cantum tuum mutavisti, nonne?

Arlequinus : Scilicet! Perdidisti. Credisne me amicum generosum esse qui amico per bona et mala tempora haeret? Contemno victum. Maxime si olim magnus fuit. Nihil me magis delectat quam te inducere ut beata inter mala memineris ut ruinas et clades, te duce, quam magnae fuerint intellegas.

Mussolini : Fortuna belli....nemo praevidere potuit....Patriam iuvare conatus sum....

Arlequinus : (Valde mordaciter) Profecto, profecto. Bonas intentiones habuisti et quam bene quendam locum pavimentare scis. Te valde bonum esse scio. Pro certo habeo te illos miseros emigrantes et eorum miseram uxores et liberos iuvare voluisse. Nepotes magnorum Romanorum erant, meministine? Atque Italus sermo! Nobilis lingua Dantis! Voluisti eam magnam rursus et veneratam esse. (Ridet) Mox nepotes magnorum Romanorum denuo sudorem suum in terris alienis vendent atque patria tua erit quae semper fuit: exacta aetate meretrix cuivis se vendere parata.

Mussolini : (Manu oculos velat.) Desine!

Arlequinus : Age! Nihil theatri, quaeso! Antiqua Romana stoica aequitate animi ausculta!

Mussolini : Abi!

Arlequinus : Haud antequam tibi dicam quod glorioso sermoni Dantis eveniet. Nonne cognoscere vis? Fiet lingua tam gravis quam....difficile est aptam comparisonem invenire, dicamus linguam nullius momenti inferioris nationis permansuram esse. Et considera, omnia propter te! Propter merita tua in patriam! Certe re elatus es! Firmus "condottiere" Italiam in hoc bellum gloriosum ducisti! Videre ubique lapides possum: "Benito Mussolini grata Patria".

Mussolini : Quaeso abi!

Arlequinus : Atque filiae tuae Eddae gratitudinem noli oblivisci. Eius virum necans eius cordem frangis. Meministine te eam in genibus tuis sedentem parvulis nominibus appellavisse? Atque eam parvulis manibus suis sacculos(3) tuos propter caramellas(4) exploravisse? Nunc cor eius frangis ut mundus videat Benitum Mussolini durum esse atque eum consanguinitatem, impedimentum suae inexorabili iustitiae non respecturum esse. Edda ploret, sed


imago severi ducis servabitur....

Mussolini : Tu es....

Arlequinus : Cave verba! Cave verba! Aegre ferrem. Meministine?  
Tecum paene adsidue usque ad finem adero. Quid  
nunc tibi dicere volo? O, id est....

SIPARIUM

- |   |   |
|---|---|
| (1) Dicisne possibile eum fu-<br>cilatum iri? | Are you saying that he may be<br>shot? / Sagst du, dass er mög-<br>licherweise erschossen wird. |
| (2) Necessitas Rei Publicae                   | Reason of State, Staatsräson  |
| (3) sacculus, -i                              | pocket, Säcklein  |
| (4) caramella, -ae                            | candy, Karamelen  |



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad adressam infra  
stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS  
mit Rechnung an:)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Datum und Unterschrift:


für



RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE ET  
CHARTAM MITTE!



RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich



AZ

8050 Zürich

5+6 / 83

IDIBVS IVNIIS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 41